



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 876. An & qualiter, ut conjux consummato matrimonio ingredi possit religionem, requiratur insuper autoritas & licentia Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

eundem sentiente Sanch. l. 7. de matr. d. 34. n. 16. nimirum posse illum in foro conscientie exire.

3. Resp. ad tertium: non itaque sufficit ad professionem licite emittendam remanentem in seculo edere votum continentie, si juvenis est, & non extra suspensionem incontinentie, sed requiritur, ut ingrediatur religionem secundum dicta. Nimirum ad profectendum in ea; nam non sufficit illum ingredi, ut ibi inclusus velut in carcere, a vagationibus arceatur, quia id non est perpetuo commorari in loco religioso, ubi DEO serviat, prout requiritur c. 8. h. t. neque ad religionem migrare, seu transire, ut dicitur c. 4. eodem, aut etiam converti, quo termino utitur cit. c. Agathosa. Sed neque sufficit, ut etiam senex manens in seculo, edat votum castitatis ad tempus, usque dum professus vixerit; sed requiritur perpetuum, vi cuius teneatur etiam post mortem illius servare continentiam, ut constat ex c. 1. & 13. h. t. Barbof. in cit. c. 1. n. 3. Pirh. h. t. n. 5. Item non sufficit tale votum emissum, etiam si juvenis manens in seculo sit honeste vitæ, ita ut hic & nunc non subsit periculum incontinentie; quia juvenis est inconstans, & variis casibus incontinentie exposita. Ita cum Abb. in c. 5. h. t. n. 4. & Sanch. l. c. d. 32. n. 10. Pirh. h. t. n. 6. Item non sufficit ut remanens sit ita senex, nisi in eum non cadat suspicio incontinentie, ut pariter constat ex c. 4. 8. & 13. & 18. h. t. Uade etiam si in conjugate senex non præsumatur periculum incontinentie, si tamen de contrario constaret, cessaret hæc præsumptio, & nequiret in seculo cum solo voto castitatis manere, Pirh. h. t. n. 6. Item non sufficit, quod mulier sit senex, & insuper careat suspitione incontinentie, si tamen sit suspecta de aliis moribus, ita ut timendum, ne destituta curâ fiat v. g. veneficia, usuraria. Quamvis si contrarium fiat, seu vir permittatur profiteri cum solo voto continentie ab eo edito, professio tamen valeat; eò quod in præsentem spectetur principaliter periculum incontinentie, utpote quod maxime adversatur fidei conjugali. Ita Jo-and. in c. 13. h. t. n. 3. Abb. ibid. n. 4. Sanch. l. c. n. 11. Pirh. l. c. Porro si mulier senex de incontinentia non suspecta post emissum votum castitatis incontinenter vivat, ad ingrediendum monasterium compelli eam debet, non ut in eo profiteatur, sed ut penitentiam agat, & periculis incontinentie subtrahatur. Docent in c. 18. h. t. & Abb. n. 3. in fine. Sanch. l. c. n. 12. quod ab aliis rectius distingui ait Pirh. n. 8. ita ut procedat juxta cit. c. 18. Si mulier fuerit ignata juris, nimirum quod datâ licentiâ debeat vel ingredi religionem, vel vivere castitatem. Secus verò seu ut ingredi teneatur religionem, si fuerit conscientia dicti juris, eò quod tunc concedendo licentiam promittere censeatur, quod jura requirunt, nimirum ingredi religionem, si continentiam non servet. Quamvis bene addat Pirh. hodieum talem inclusionem in monasterio non servari ob magnas difficultates, & onera quæ parit; unde spectare ad Episcopum providere, ut talis mulier in alio loco constituatur, ubi honestè & continenter vivat.

Quest. 876. An & qualiter, ut consummato matrimonio conjux ingredi possit religionem, requiratur insuper autoritas & licentia Episcopi.

1. Resp. primò: ut consummato matrimonio conjux validè emitat professionem, opus non est autoritate aut licentiâ Episcopi. Arg. c. 1. h. t. ubi dum dicitur; si vir ignorante Episcopo, sed cum licentia uxoris fecit professionem, non possit nec debere revocare, si uxor ad religionem transiit, aut castitatem perpetuam vovit, satis indicatur professionem ob defectum licentiâ Episcopi non esse invalidam; & ita tenent Abb. in cit. c. 1. num. 3. Barbof. ibid. num. 4. citatis Arctin, Soto, Scoto, Gab & c. item Sanch. cit. d. 32. n. 3. Pirh. h. t. n. 5. contra Host, in c. cum sis h. t. n. 3. Anchar, in c. uxoratus h. t. n. 4. Butr. Card, & alii innixi textui c. si vir caus. 27. q. 2. dum ibi dicitur: Si vir & mulier pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat. Vi cujus textus licet requiratur conscientia Episcopi ad talem professionem, perperam tamen inde deducitur illam sine conscientia factam esse invalidam, ut Gl. in cit. c. v. conscientia.

2. Resp. secundò: ut tamen fiat licite, id est, sine peccato requiritur licentiam Episcopi, tradit Barb. & sic sentire videntur plerique ab eo citati. Quamvis, contrarium sentire videatur Pirh. dum ait: imò neque licentia Episcopi requiritur ex præcepto; sed solum ex honestate & consilio, & ad majorem securitatem; eò quod, cum per professionem fiat matrimonii consummati separatio quò ad torum, & matrimonium sit Sacramentum, non deceat id fieri sine Episcopi licentia. Et sic in praxi observari, ut licentia Episcopi exigatur, testatur Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 3. quin & ut Barbof. l. c. cum Mascard. de probat. n. 1316. n. 10. præsumitur professio facta cum autoritate Episcopi, si consentiente uxore & perpetuam castitatem vovente, professionem emisit, & in ea diu permanserit conjux.

Quest. 877. An & qualiter dicta de licentia conjugis emittendoque ab eo voto castitatis, aut intranda religionem, requirantur quoque ad sacros ordines recipiendos & ad assumptionem ad Episcopatum.

1. Resp. primò: Non potest conjugatus suscipere sacros ordines, nisi ad hoc obtento consensu uxoris juxta 5. h. t. (ubi indistinctè id statuitur, sive matrimonium sit consummatum, sive non) & c. 6. eod. cederet enim in grave præjudicium uxoris, si vir suscipiendo sacros ordines statum mutare possit, irrequisito vel non obtento ejus desuper consensu, & ita cum communi tenent Sanch. l. 7. de matr. d. 38. n. 2. Pirh. h. t. n. 58. Barbof. n. c. conjugatus h. t. extenditurque hoc ipsum jure posteriore, ad ordines etiam minores juxta c. ult. de temp. ordin. in 6. & Gl. ibid. v. definitum, & Gl. in c. conjugatus, v. ad sacros. Ubi ait ex eo, quod ibi, de solis ordinibus sacris fiat mentio, non rectè inferri, quod ad ordines minores promoveri nequeat; cum argumentum a sensu contrario nihil probet, quando contrarium lege non est decisum, prout idem asserit Everhar. in locis legal. loc. à contrario sensu. Et Sanch. in proposito l. c. n. 6. His non obstante, quod minoribus non sit annexum votum continentie, cum sufficiat, id ipsum esse contra specialem juris prohibitionem. De cætero si vir promotus ad sacros ordines sine licentia uxoris, quia ipsa contradixit, vel ignoravit, vel cum ejus licentia, sed metu gravi vel dolo expressa à viro, vel